



C A P U T IV.

QUALIS ERIT ANIMUS MEUS?

I. Infelicem me, infaustoque ut ajunt
natum fidere, si animum in cor-
pore gero, cujus interitus in dies, ho-
ras ac momenta pertimescendus est!
appetit ille vere beatus esse, appetit
semper esse; cujus tanta crudelitas, qui
eam in me spem extinguere velit aut
possit, spem, quae mentem in summis
calamitatibus prostratam sola erigit,
quae rebus omnibus desperatis verum
solatium adferre potest & solet, quae
moestitiae nubes pellit, prioremque
animi serenitatem reducit? absit, ut ali-
quando patiar illud mihi bonum eripi,
quo uno, si caetera omnia perdita sint,
satis me semper beatum arbitrabor. Di-
cant, scribant, agant materiales homi-
nes quidquid velint; non me vana illo-
rum sapientia, non verborum splendor,
quibus deformes partus exornant, non
exquisita sententiarum acumina, non
orationis flosculi, non satyrica dicteria
& calumniae unquam efficient, ut spes
illa in animo emoriatur: vivet ea dum
sua fors maligna in me tela evibrat, vi-
vet dum mutato vultu benignior arri-
det, vivet ne in felicitate extollar, ne
in calamitate desperem.

2. An vero non vana spes est, qua
mihi blandior? non mei ipsius amor

Notio im-
mortalita-
tis.

E 4

men-

tis.